

enim Athanasius accusatus fuit de fide coram Julio, sed quod frumenta a Constantino in Aegyptum, & Lybiam missa surripisset; quod ejus in Alexandriam reditus multarum caedum causa fuisset; quodque a Synodo damnatus Sedem contra Canones recepisset.

Ad testimonia S. Th. Eugenii IV. & aliorum pro opposita sententia, responderetur, eos hoc Symbolum S. Athanasio tribuisse, quia ejus nomine inscribitur. An autem esset verum ejus opus, non expendisse secundum accuratiores Cri-

tice leges, quia id ad eorum institutum non pertinebat.

Si quaeras, quis, juxta hanc 2. sententiam, sit hujus Symboli Auctor? R. Eos verisimiliter conjicere, qui illud tribuunt Vigilio Tapsensi in Africa; quia solebat opera sua contra Haereticos emittere sub nomine antiquorum Patrum, ut majorem vim haberet. Id patet de Dialogo adversus Arianos, & Sabellianos, quem sub nomine Athanasii edidit, ut ipse scribit in praefatione hujus Dialogi.

DISSERTATIO II. DE MOTIVIS CREDIBILITATIS RELIGIONIS Christianae adversus Incredulos, vulgo Deistas.

Increduli, seu Deistae, dicuntur, qui ens supremum, seu verum Deum agnoscunt; sed negant, eum quidquam revelasse hominibus, ideoque Religionem Christianam cum suis mysteriis figmentum humanum reputant. Volunt autem in his, quae sive Deum, sive alios spectant, sola ratione duci, eamque unam in omnibus, & veritatis, & vitae regulam, ac Judicem agnoscant. Hinc in varias abeunt adinventiones. Quidam censent, animam rationalem esse materialem, ideoque negant ejus immortalitatem; qui dicuntur Materialistae. Alii animam rationalem spirituales, & immortalem agnoscunt. Quidam negant providentiam divinam circa res humanas, Deumque mala punire, aut bona praemiare; alii contra sentiunt. Quidam Justitiam, & injustitiam non nisi verba reputant, suamque Regulam in propria utilitate reponunt. Alii creaturam rationalem certis officiis erga Deum, & aequales secundum dictamen rationis subjeiunt. Nec mirum, si sic inter se scindantur; cum enim, ut dixi, unam rationem pro duce, & regula habeant, quisque pro nutu suae rationis systema sibi cudit.

Adversus hunc pestilentissimum errorem, totius Religionis eversivum, & his temporibus invaliscentem, plurima atque eruditissima prodierunt scripta, quibus varia ejus systemata efficaciter impugnantur, & error penitus profigitur. Verum ego, compendio intendens in gratiam studiosae Juventutis, rem puto me sufficienter confecisse, si invicte probavero Religionem Christianam esse divinam, a Deo revelatam, atque institutam: hoc enim posito palam sequitur, omnia, quae proponit credenda ut sunt mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis, Providentia divina circa res humanas, immortalitas animae, Leges morum, peccatum originale, aeternitas poenarum, resurrectio mortuorum, Sacramenta, &c. esse vera, & eisque certam, & indubitam Fidem esse adhibendam, non obstante eorum incomprehensibilitate; Deus enim nec falli, nec fallere potest, ut concedunt ipsi Deistae; sicque evanescent omnia illorum & figmenta, & sophismata. Et cum hi solam rationem audiunt, etiam sola ratione eos impugnavo, exponendo praecipua motiva credibilitatis Religionis Christianae, quibus nemo, nisi humanae rationis lumen in se extinguat, resistere potest.

Sic ergo argumentor: Ratio suadet, imò cogit, nisi sit prorsus inversa, & turbata, agnoscere hanc Religionem esse veram, a Deo revelatam, & institutam, quam i. Prophetarum longe antea praenuntiavit. 2. Quam ejus Auctor, & illius cooperatores pariter Prophetis adimpletis, & patentissimis miraculis confirmarunt. 3. Denique, quae sola virtute divina contra omnes humanae prudentiae Leges est nata, adulta, & per orbem universum propagata; atque haec est Religio Christiana: ergo. Majorem negare non possunt Deistae; tria enim assignata sunt evidentiissima Divinitatis argumenta. Sola ergo Minor est probanda. Unde in ejus probationem sit

ARTICULUS I.

Vaticinia Prophetarum de Religione Christiana, & ejus Auctore.

Vaticinia Religionis Christianae continentur in libris Moysi, & aliorum Prophetarum. 1. Deus locutus est Moysi, & eique Religionem Judaicam revelavit, ut patet Exod. 19. Porro, si Religio Judaica sit vera, & revelata: ergo Christus est Messias: ergo Religio Christiana, quam instituit, & cujus Religio Judaica erat fundamentum, est vera, & revelata. 2. In libris Moysi, & Prophetarum praenuntiatur Messias, ejus nativitas, locus, tempus nativitatis, vita, doctrina, opera, miracula, passio, mors, resurrectio, & alia haec

spectantia, vocatio Gentium, rejectio Judaeorum, abolitio Templi, & Sacrificii, substitutio novae Legis, & novi Sacrificii, &c.; atque haec omnia adamussim verificata sunt de Jesu Nazareno, Auctore Legis Christianae: ergo ipse est Messias: ergo vera, & divina est Religio.

Prob. Min. 1. Noster Christus natus est, adempto sceptro a Juda, juxta Vaticinium Jacob, Gen. 49. Tempore statuto in 70. hebdomadibus Daniels, Daniel c. 9. Antè destructionem secundi Templi, ut praedixerat Aggeus c. 2. & Malachias c. 3. 2. Natus est in Bethlehem, ut praenuntiavit erat Mich. 5. Ex tribu Juda, & Familia David, Isa. 11. Ex Virgine, Isa. 7. 3. Adventum ejus praecessit, qui pararet vias ejus, Malac. 3. 4. Fecit miracula, ut praedixerat Isa. c. 61. 5. Venditus est 30. argenteis, quibus emptus est ager figulli, ut praedixit Zachar. c. 11. 6. Conspuitur & caditur in faciem, Isa. 50. 7. Flagellatus fuit, Ps. 34. & 138. 8. Manus & pedes ejus fuerunt perforati, Ps. 21. 9. Fuit crucifixus inter Latrones, Ps. 55. Divisa sunt ejus vestimenta missa sorte in togam, Ps. 21. Pendens in cruce fuit felle potatus, Ps. 68. Eo moriente, sol deliquit passus est, Amos c. 8. Resurrexit, Ps. 3. Ascendit in Caelum, Ps. 67. Misit Spiritum S. Joël 2. 10. Vocavit per Apostolos Gentes ad suam Religionem, & Idololatriam destruxit, ut praedixit erat Genes. 20. 22. & 40. Isa. 2. 19. & 49. Zachar. 13. & alibi. 11. Novum Sacrosanctum substituit Levitico, novam Legem legi Mosiacae, ac tandem Judaeos rejectit, ut praenuntiavit esse passim in Prophetis, Isai. Jerem. Osae, Amos, & Mich. Haec omnia latius exposita require in Tract. de Incarn. Dissert. 2. a. 3.

Quid ad haec Deista? Dicent, Moysen esse fabulatorem & impostorem, qui falsa, & ficta pro veris fraudulenter vendidit Israelitis? Sed contra 1. Moyses eorum, quae narrat, ipsos Israelitas testes oculos appellat. Narrat plagas Aegypti, Israelitis videntibus innoxias. Narrat ipsos transisse incolumes per mare rubrum, Aegypti in eo submersis. Narrat manna caelitis ipsis datum per 40. annos: per id tempus coram vestes non fuisse detritas. Narrat, Legem ipsis divinitus datam in Monte Sinai inter fulgura, & tonitrua. Narrat, se in eorum sublevamen elicuisse fontem de rippe: Dathan, & Abiron, ipsis spectantibus, vivos in terra fuisse absorptos, ut praedixerat: legi durissimae ipsos subjeit, etiam sub poena mortis in certis capitibus. Narrat, se jussisse occidi per Levitas 25000. hominum propter Idololatriam, & plura alia. Si ergo haec omnia falsa sunt, & Moyses pro veris fraudulenter vendidit Israelitis, necesse est Moysen fuisse stultum, qui speraret se posse persuadere Israelitis eos vidisse, quae non viderant, & inde eos legi durissimae subjeicere; Israelitas pariter fuisse stultos, qui crederent se vidisse, quae non viderant, & inde se subjeicent legi durissimae. 2. In memoriam factorum, & prodigiorum, quae narrat Moyses, instituta fuerunt tunc Festa, & Sacrificia, quae etiam nunc scrupulosè servantur a Judaeis. Quis autem credat, Genem integram instituisse Festa, & Sacrificia pro eventibus sibi non certò notis, aut fabulosis, & ea per tot saecula tam religiosè observare? 3. Moyses non solum facta, & prodigia narrat, sed multa praenuntiat futura, quae ex sola Dei voluntate pendent, & quae fuerunt adimpleta: similiter alii Prophetarum. Non est autem impostor, nec conjurvis alterius hominis praedicere futura, quae ex sola Dei voluntate pendent.

Reponet forte, neque Moysen, neque Prophetas unquam extitisse; aut si extiterint, libros, qui ipsis tribuuntur, non esse ipsis proprios, sed post natum Christianismum ab aliquo impostore fuisse fabricatos. Sed contra 1. Tam certum est, extitisse Moysen, & Prophetas, & scripsisse ea, quae

ipsis tribuuntur, quam certum est extitisse Cyrum, Alexandrum, Caesarem, Ciceronem, Virgilium, & scripta, quae eis tribuuntur, esse ipsis propria. De his autem nullus dubitat propter constantem traditionem, cui nihil opponi potest: ergo nec de illis dubitare licet. Item tam certum est, Moysen, & Prophetas extitisse, & opera, quae eorum nominibus inscribuntur, esse ab illis scripta, quam certum est, extitisse & nunc existere Gentem Judaicam, quae illos ut Prophetas & Sanctos semper coluit & colit, & eorum Scripta ut divina summa diligentia semper custodivit & custodit. Existere autem & extitisse Gentem Judaicam antè ortum Christianismum, universo orbi notum est. 2. Aristaeus, unus ex Legatis Ptolemiae ad Eleazarum Summum Judaeorum Pontificem, cujus liber extat in Bibliotheca Patrum Tom. 7. Joseph & Philo uterque Judaeos referunt, vetus Testamentum ex Hebraeo in Graecum fuisse translatum a 70. Interpretibus sub Ptolemæo Rege Aegypti 200. annis antè Christum natum. Item Historici prophani, Cicero, Phlegon, Tacitus, Suetonius, Salustius, Quintus Curtius mentionem faciunt de Lege, Templo, & Bellis Judaeorum. 3. Qua arte iste impostor potuisset persuadere Judaeis, hanc esse Historiam & Legem suae Gentis divinitus traditam, de qua nihil unquam audivissent, quaeque multa illis probrosa continet & durissima praecipit, atque ab eis obtinere tam scrupulosam hujus legis durissimae observantiam, qualem nunc etiam profitentur? Quisquis sanè id tentasset, dubio procul eum Fanaticus à Judaeis habitus fuisset. 4. Si verum Testamentum sit opus recentis Impostoris, idem dicendum erit de novo, cum istud non sit nisi explicatio & adimpletio veteris, Christusque sepe provocet Judaeos ad Moysen & Prophetas veteris Testamenti. 5. Dicant Deistae, qui fuerit iste Impostor, cujus conditio, generis, & Religionis, an Judaeus, an Samaritanus, an Christianus? Si Judaeus, nihil obtinisset a Samaritanis Judaeorum hostibus infensissimis. Similiter, si Samaritanus, respectu Judaeorum. Insuper neuter inseruisset in his libris, quae nationi Judaicae & Samaritanæ adeo sunt ignominiosa, eorum scilicet crimina, ingratitude, idololatriam, & punitiones: si Christianus, quomodo à Judaeis & Samaritanis hostibus pariter Christianorum infensissimis acceptus fuisset?

Item dicant, quo tempore, quo anno, in qua parte mundi apparuit iste Impostor; quos 1. deceptit, quomodo Judaei, Samaritani, Christiani toto orbe dispersi statim, & simul fuerunt instructi exemplaribus omnium istorum librorum, in omni lingua, Hebraica, Syriaca, Chaldaica, Graeca, proit erant, nascente Christianismo. Ad haec obmutescunt Deistae. Agnoscant ergo sua figmenta, & teipos prodero Impostores, dum hæc Impostoris causam agunt.

Maneat itaque inconcussum, libros Moysi & Prophetarum esse genuina ipsorum opera, vaticinia, quae continent de Religione Christiana & ejus auctore, esse divina & revelata, consequenter Religionem Christianam esse veram, divinam, & revelatam; nullum quippe est efficacius argumentum veritatis alicujus doctrinae, quam vaticinia de illius Auctore & veritate; siquidem nullus, nisi Deus, aut divino Spiritu afflatus, possit diu ante futura contingentia, quae ex sola Dei voluntate pendent, cum omnibus suis circumstantiis praedicere, juxta illud Isa. 41. Ammutiate, quae ventura sunt, & sciemus, quia Dii estis.

Si opponas, Paganismum etiam habuisse sua oracula. R. 1. Nulla unquam oracula sive a Sacerdotibus Idololorum, sive a Pythonibus, sive a Dæmonibus per Idola prodixisse de eventu futuro, qui ex sola Dei voluntate penderet, sicut oracula Christianismi: sed fuisse vel de eventibus recentibus alibi jam peractis, aut quae ipsi facturi erant, vel de futuris naturalibus, quae ex circumstantiis conjecturaliter praenuntiabant; & ideo de illis ipse Cicero l. 2. de Divinat. dicit, quod erant partim falsa, partim casu vera. 2. Oracula, quae futurum spectabant, erant ambigua, ita ut, quidquid evenisset, verificarentur. Tale fuit oraculum Apollinis Delphici, datum Graeco Regi Lydiae quod. Si transiret flumen Halys, magna regna perdat: An sua, an aliena, hoc restabat divinum. Item istud ejusdem Apollinis datum Pyrho consulenti de eventu belli contra Romanos: Alit, te Aetida Romanos vincere posse, quod æque significat Graecos posse vinci a Romanis, ac Romanos posse vinci a Graecis. 3. Haec Paganismi oracula cessarunt, nascente Christo, & proficiente Christianismo. Suidas verbo Augustus, Suetonius in Octavio, Nicephorus l. j. c. 17. referunt, Apollinem Delphicum, postquam diu mutus mansisset, tandem Caesari Augusto ipsum consulenti coactum fuisse respondere sic:

Theol. Billuart. Secunda Secunda.

Me puer Hebraeus, diuos Deus ipse gubernans Cedere sede jubet, tristemque redire coram. Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Notum est, Apollinem Daphnicum in suburbio Antiochia diu pariter obmutuisse, non obstantibus Sacrificiis iteratis Juliani Apostatae; ac tandem illi respondisse, causam sui silentii esse quosdam mortuos in vicino loco sepultos: hi autem erant SS. Martyres, inter quos S. Babylas.

Tertullianus in Apolog. affirmat, quemlibet Christianum primò occurrentem posse reddere Dæmones motus, & eos e corporibus ejicere; provocatque Romanos, ut experimentum faciant, & consentit hunc Christianum morti addici, si deficiat. Pariter Lactant. l. de vera Sap. refert omnem Christianum signo crucis Dæmones mutos efficere, & e corporibus expellere.

ARTICULUS II.

Miracula Christi & Apostolorum, item promissiones Christi adimpletae in confirmationem Religionis Christianae.

§. I. Quaedam Quaestiones circa miracula breviter resolvuntur.

Petes 1. Quid sit miraculum? (l. p. q. 110. a. 4. o.) Miraculum est effectus omnipotentiae divinae contra leges communes, & supra omnes vires totius naturae; seu, ut dicit S. Th. præter ordinem totius naturae. Unde neque Angeli, neque Dæmones, neque ulla quævis creatura potest propria virtute facere verum miraculum, sed solus Deus; qui, cum condendo naturam illi liberè Leges constituit, sic solus illis potest ad nutum derogare. Neque inde sequitur, quod Deus muteatur, ut stupide fingit Spinoza; non enim mutat voluntatem faciendo miraculum, sed facit in tempore, quod ab aeterno decrevit facere. Quando ergo. (Ib. ad 1. & 2. q. 178. a. 1. ad 1.) Angeli, vel Sancti dicuntur facere miracula, non est sensus, quod habeant in se virtutem habitualiter permanentem faciendi miracula: cum enim principium operandi miracula se extendat ad omnia, quae supernaturaliter fieri possunt, nihil est aliud, quam omnipotentia divina, quae nulli creaturae communicari potest: & aliunde sequeretur, quod possent facere miracula quando vellent, quod est falsum. Patet ex interrogatione Apostolorum Matth. 17. Quare nos non potuimus ejicere illum? scilicet Dæmonem. Item Eliseus non potuit suscitare filium viduae per sui baculi applicationem. Item Paulus petiit a se removeri stimulum carnis, nec obtinuit. Sensus est ergo, quod ad eorum sive postulationem, sive vocem, sive contentum alicujus ad se pertinentis, Deus operatur miraculum, utens is rebus tanquam instrumentis.

Petes 2. Utrum omnia, quae videntur, aut dicuntur miracula, sint vera & proprie dicta miracula? R. negativè. (Ibid. 2. a. 2. o.) Quaedam enim non sunt vera facta, sed phantastica, quibus ludificatur homo, ut videatur ei aliquid, quod non est. Quaedam sunt quidem vera facta, seu vera res, sed non habent rationem veri miraculi, quatenus fiunt virtute aliquarum causarum naturalium nobis ignota; & ideo non dicuntur miracula simpliciter, sed quoad nos tantum. Haec duo facere possunt Dæmones, & Magi ope Daemonum. Hujusmodi fuerunt miracula Magorum in Aegypto, & erunt miracula Antichristi, de quibus Apost. dicit 2. Thessal. 2. quod ejus adventus erit secundum operationem Satanae, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus. Solum autem Deus, ut dixi, facit vera miracula, quae omnem totius naturae virtutem superant.

Petes 3. Quomodo dignosci potest, aliquid miraculum esse factum virtute divina, & non virtute naturae nobis ignota; ideoque esse verum miraculum? R. triplicem esse regulam. Pro 1. suppono, esse quosdam effectus, qui communi & constanti sensu omnium hominum cujusvis temporis & nationis reputantur superare omnes totius naturae vires & verè miraculosi, qualis est v. gr. resurrexerit mortui; quovis enim loco, quovis tempore resurgat homo verè mortuus, ut erat v. gr. Lazarus, nemo est, qui non reputet verum & proprie dictum miraculum; unde illud Cæciliati Joann. 9. A saeculo non est auditum, quia quis operatus oculos caeci nati. Nisi esset hic a Deo, non potest fieri quidquam. Hoc supposito, dico: Quando est talis effectus, qui communi & constanti sensu omnium hominum cujusvis temporis & nationis censetur miraculosus, certò tenendum est, esse verum miraculum: quia hic sensus tam constans & tam universalis omnium hominum cujusvis temporis & nationis, attentata infinita Dei bonitate, sapientia, & veracitate, non potest esse falsus; alioquin

Ba Deus,

Deus, qui est Auctor sensus communis & rationis, aut nos deciperet, aut permitteret, nos decipi, absque eo quod ullo medio possemus dignoscere errorem, & ab eo liberari; quod repugnat infinitæ eius bonitati, sapientiæ, & veritati, maxime si sit error circa aliquod dogma.

Pro 2. regula suppono, vera miracula esse testimonia divina alicujus veritatis inducenda, aut confirmanda. Hoc supposito, dico: Miraculum, factum in nomine Dei Creatoris in assertionem alicujus dogmatis, nunquam potest esse falsum, nec inducere in errorem. Quia infinitæ Dei bonitati, sapientiæ, & veritati repugnat 1. quod permittat suum nomen interponi ad substituendum falsum miraculum pro vero; 2. quod patiat, suum nomen adduci in testem mendacii, ex quo homines necessario, & invincibiliter inducerentur in errorem contra id, quod debent Deo, & est necessarium suæ salutis. Nihil enim habent homines, quod opponant miraculo, factum in nomine Dei Creatoris in attestationem alicujus dogmatis.

Tertia regula. Dignoscuntur vera miracula ex doctrina & moribus eorum, qui illa operantur, & ex effectibus singularibus & permanentibus, qui ex his miraculis sequuntur: si nempe, qui operantur miracula, tradant doctrinam Deo honorificam, recte rationi conformem, bonos mores inducentem, & vitæ sociali adfaventem: si lidem vitam & mores ad hujus doctrinæ normam accuratè componant: deniquè, si ex his miraculis sequantur permanentè cultus supremi Numinis, eversio cultus Dæmonum, reformatio morum conformiter ad rectam rationem, concordia civium & vita socialis: impossibile est enim, quod hujusmodi miracula fiant, auctore Dæmone in sui perniciem. Hæc regula desumpta est ex Origene libr. 2. contra Celsum.

Petes 4. Undè dignosci possit, factum miraculosum, quod narratur, non esse suppositum & fabulosum? R. Tunc censeo verum & non suppositum 1. quando est factum exterius, oculis, vel auribus percipiunt. 2. quando est factum coram multis videntibus, seu audientibus attentis, & omnes facti circumstantias maturè perpendentibus. 3. Quando in memoria hujus facti tunc erecta sunt monumenta publica, & onera imposita quæ, perdurant. Ex his, inquam, conditionibus simul positis certò eruitur veritas facti.

§. II. Facta sunt vera miracula in confirmationem Religionis Christianæ.

Am dixi de miraculis Moysis in confirmationem Legis a Deo ipsi traditæ, quæ erat fundamentum Legis evangelicæ. Miracula, facta a Christo & Apostolis in confirmationem Religionis Christianæ, continentur in libris novi Testamenti, scilicet 4. Evangelii SS. Matth. Marci, Lucæ, & Joannis, Epistolis SS. Pauli, Jacobi, & Joannis, & in Actis Apostolorum a S. Luca scriptis.

Tria nobis hic præstanda sunt adversus incredulos. Primum, hos libros esse genuinos Apostolorum, quorum nomina referunt. Secundum, facta, quæ narrant, esse vera. Tertium, esse vera miracula.

PRIMUM.

Libri novi Testamenti non sunt suppositi.

Hos libros non esse suppositos, sed proprios eorum, quorum nominibus inscribuntur, constat: 1. Ex fide publica & constanti traditione, quæ super suis Auctoribus illos adjudicavit, nemine unquam, sive ex Judæis, sive ex Paganis, sive ex Hæreticis reclamante, quamvis maxime illorum interesset id denegare. Hujusmodi autem fidei publicæ & constanti traditioni certa fides adhibetur, nisi contrarium evincat preceptoris ratio, quæ deest incredulis.

2. Dicant Deistæ, si hi libri non sint Apostolorum, quis illos fabricavit, & quo tempore; an viventibus Apostolis, an post illorum mortem? Non ipsi viventibus, alioquin certò contra fraudem reclamasset. Non post eorum mortem; nam extant opera SS. Ignatii, Clementis, Polycarpi, qui cum Apostolis vixerunt; item opera SS. Justini & Irenæi, qui fuerant discipuli priorum Discipulorum Apostolorum, & hi omnes libros novi Testamenti adscribunt Apostolis, & sic omnes deinceps usque ad nos. Item dicant, qua arte iste fabricator potuit persuadere Romanis, Corinthiis, Galatis, Ephesis, Telsalonicensibus, & Philippensis Epistolæ, quæ nomine S. Pauli inscribuntur, fuisse ab eo scriptas, & ad se directas, de quibus nihil unquam audivissent?

3. Hi libri continent Religionem, qua nulla est sublimior, nulla purior, nulla sanctior, nulla austerior: ergo non sunt opus alicujus impostoris. Item continent veritates & misteria, quæ superant captum rationis humanæ, & quæ proinde ab ipsa attingi & excogitari non poterunt absque revelatione, ut sunt mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis, Peccatum originale, Resurrectio mortuorum, &c.

SECUNDUM.

Facta, quæ narrant, sunt vera.

Constat 1. Quia alioquin facile, & apertè mendacii argui possent. Ea enim narrat in medio Jerusolymæ, ubi plurima fuerunt peracta, & paucis post annis ab eorum eventu, ita ut tot testes mendacii habuissent, quot adhuc erant tunc homines a morte Christi superstites. Mattheus enim scripsit Evangelium 9. circiter annis post Christi mortem, deinde ceteri.

2. Quia pro asserenda veritate eorum, quæ narrant, mortem oppetere. Nemo autem est adeo stultus, ut mortem oppetat pro asserendo factis, quod scit, esse falsum, nisi aliquid melius post mortem speret; quid autem melius post mortem sperare poterat impostores?

3. Plurima ex his factis agnoverunt vera ipsi Christianæ Religionis hostes, Judæi, & Paganis. In primis, quotquot ex Judæis & Paganis amplexi sunt Religionem Christianam, ea omnia indubiè ut vera agnoverunt. Hi autem sunt & fuerunt innumeri ex omni gente & conditione. Suetonius de Imperatore Claudio c. 44. narrat, edicto hujus Imperatoris pulsos fuisse Roma Judæos, qui sequebantur Religionem Christi; quod factum legitur in Actis Apost. c. 18. Tacitus Annal. l. 15. c. 44. refert, Christum subisse mortem sub Pontio Pilato Judææ Gubernatore, imperante Tiberio, proit refertur in Evangelio. Celsus, quo nullus fuit infensior Religionis Christianæ adversarius, agnoscit Christum sanasse claudos & cæcos: En ejus verba apud Orig. qui illum impugnavit, l. 2. contr. Cels. *Credidistis, ipsum esse Dei Filium, id quod claudos & cæcos sanavit.* Similiter Julianus Apostata apud Cyrill. l. 6. fatetur, Christum sanasse claudos & cæcos, & liberasse energumens. Phlegon, qui florebat in aula Adriani Imperatoris circa medium 2. seculi in Hist. Olimpiad. l. 13. refert eclipsim solis, & terræ motum, qui contingerant, moriente Christo, ut legitur Matth. c. 27. Thallus alter Paganus antiquior Phlegone l. 3. Histor. Syriac. narrat, hanc eclipsim contigisse anno 18. Imperii Tiberii, quo passus est Christus. Hæc duo testimonia Phlegonis & Thalli simul juncta maxime urgebant Origenes, Tertullianus, Minutius Felix, S. Justinus, & alii contra Celsum, Porphyrium, & Julianum, qui ad hæc obmutescabant.

4. Constat de veritate istorum factorum ex regula §. præcedenti posita. Hæc enim facta sunt exteriora oculis & auribus peria: facta sunt coram multis videntibus vel audientibus, attentè & maturè omnes circumstantias perpendentibus. Deniquè in eorum memoriam instituta sunt monumenta publica, scilicet Festa solemnia, quæ ab exordio usque nunc permanent, & impositæ obligationes, scilicet Legis Evangelicæ. Hæc autem veritatem factorum asserunt, ut dictum est.

TERTIUM.

Ista facta sunt vera miracula.

Prob. ex triplici regula, §. 1. posita, & aliis momentis. 1. Inter illa facta plura sunt, quæ juxta constantem & universalem omnium hominum sensum superant vires totius naturæ, & habentur pro veris miraculis, ut sunt suscitatio Lazari, & filix Jair, ipsa Christi Resurrectio, multiplicatio 5. panum, quibus satiantur 7. millia hominum, missio Spiritus S. subita transmutatio Discipulorum in alios viros, donum linguarum & miraculorum eis concessum &c. Hæc, inquam, & similia juxta communem omnium sensum habentur pro veris miraculis: ergo talia sunt; sensus enim communis omnium hominum non potest esse falsus, ut dictum est.

2. Omnia ista miracula facta sunt a Christo & Apostolis in nomine Dei, in attestationem dogmatum Religionis Christianæ: ergo non possunt esse falsa, nec inducere in errorem, ut fert 2. Regula.

3. Christus & Apostoli, eorumque Successores, qui hæc miracula patrarunt, tradebant Doctrinam Deo dignam, recte rationi conformem, bonos mores inducentem, & vi-

ta sociali faventem. Vitam suam, & mores ad hujus doctrinæ normam adamussum componebant; & ex eorum miraculis innuere homines omnium nationum facti sunt, & permanent eorum doctrinæ sectatores, eorum vitæ imitatores, supremi Numinis imperii cultores, charitate inter se concordēs, demonum hostes, & victores. Impossibile est autem, ut dictum est in 3. Regula, hæc miracula facta fuisse auctore dæmone in suæ dominationis destructionem.

4. Quotquot ex Judæis, & Paganis Religionis Christianæ nomen dederunt, hæc facta ut vera miracula agnoverunt. Inter illos autem erant viri maxime eruditionis, & perspicacissimi ingenii, ut S. Justinus Martyr, Lactantius, Arnobius, Minutius Felix, Quadratus, Aristides, Melito, Athenagoras, &c. Hi, inquam, & alii, non nisi explorata veritate miraculorum per accuratum examen, ut momentum rei exigebat, antiquam Religionem sensibus faventem exuerunt, ut novam sensibus planè repugnantem induerent, & pro ea plurimam mortem subirent. Quis porro sanæ mentis hujusmodi testibus fidem non adhibeat potius, quam hesternis quibusdam incredulis, qui non nisi ex pravitate cordis, & nulla fulta ratione, miracula nostra impugnant? Adde, quod ipsimet Imperatores Paganis veritatem miraculorum Christi agnoverint, & venerati sint. His motus Tiberius Christum detulit Senati, ut numero Deorum adscriberetur; quod abnuit Senatus, eo quod non esset Auctor hujus consilii. Ita refert Tertull. in Apologetico ipsi Senati Romano oblato. Lamprius Auctor Paganus in vita Alexandri Severi narrat, Imperatorem Adrianum plura Templâ absque idolis exisse eo animo, ut illa Templâ Christo consecraret, sed à proposito visus deterritus, ne si id faceret, omnia alla Templâ desererentur, & omnes Christi Religionem amplecterentur, prout responderant oracula. Refert iterum idem Lamprius ibid. Alexandrum Severum habuisse in suo Palatio Oratorium, in quo Christum adorabat, & illi Sacrificia offerebat.

5. Non solum Apostoli miracula Christi ut vera narrant, & se pro eorum veritate asserenda morti, & supplicii offerunt, sed insuper testantur, se ab eo accepisse virtutem faciendi vera miracula. Vel ergo fecerunt vera miracula, vel non. Si fecerint, nobis sufficit; si non fecerint, ergo spontè se pro impostoribus palam exhibebant. Quis credat? Nisi supponas, illos fuisse omnino mente captos. Omitto innumera alia miracula, quæ Successores Apostolorum, & sancti Viri, invocato Dei, vel Christi nomine, quovis tempore, & ubique fecerunt in confirmationem Religionis Christianæ. Plurima referunt SS. Ambrosius, Aug. Gregor. Annales Ecclæs. & alii probati Auctores. Item nullus declaratur Sanctus, nisi invictissime probeur edidisse vera miracula. Quæ omnia si neget, nulla stabit vera historia, & omnia inter fabulas erunt recensenda.

6. Deniquè, si quis potenter neget vera miracula in confirmationem Religionis Christianæ, agnoscat omnium miraculorum maximum, quod hæc Religio, quam art. seq. describemus, absque miraculis totum mundum pervaserit. Ita post Aug. argumentatur Auctor 1. contr. Gent. c. 6. *Cum constet, inquit, Romanum imperium, universumque orbem, tot potentibus Viris, Philosophis, Oratoribus, refertum, Christi Doctrinæ autè repugnantem, ad eam postmodum fuisse conversum: Quæro, an virtute signorum, & prodigiorum ab antiquis ritibus, diuque observatis Religione, in hæc novam, & inauditam, sit hæc facta mutatio? Si fateboris, mutam ad hæc persuasionem tractum fuisse ut miraculorum, quiBUS CONTRA DICERE NEQUAquam poterat, fateri oportet a Deo Auctore miraculorum, & qui facit mirabilia magna solus, Religionem hæc processisse. Sin autem negas, ullis miraculis mundum ad hæc recipiendam fidem fuisse provocatum, negando miracula ingens miraculum ingeris. Quid enim potes dici mirabilia, quam Romanum Imperium, totamque Gentilitatem Religionem, quam tam acriter impugnant, subvertereque moliebantur, desertis paternis ritibus, nullis visis signis, mirandisque operibus, spontè suscepisse, & in ea reinunda tam constantes fuisse?*

Opponunt Deistæ plura miracula facta a Gentilibus, & inde inferunt, non posse probari veritatem Religionis Christianæ ex miraculis. Sic, inquit, Magi in Aegypto virgas suas in serpentes converterunt, & ranas produxerunt: sic Vespasianus sanavit cæcum, & claudum: sic Apollonius Ithyanæus, inter plura miracula, resuscitavit puellam mortuam.

R. 1. Nego, ullum verum miraculum unquam factum fuisse a Gentilibus: tum quia nullum factum est in nomine Dei creatoris, quod est tessera veri miraculi; tum quia, quæ referuntur, non superant vires naturæ, aut sunt falsa, & supposita. Quantum ad prodigia Magorum Aegypti, plures volunt fuisse tantum ludificationes sensuum. Alii, & communis cum S. Th. existimant, fuisse quidem veras ranas, & veros serpentes, non quos Magi supra omnes virtutes totius

naturæ producerint, sed quos ex seminibus in elementis dispersis, applicando virtute naturali activa passivis, effecerunt, ut fieri potest in his, quæ ex putrefactione nascuntur, ut docet S. Th. (1. p. q. 114. a. 4. o. & ad 2.) post Aug. vel aliunde asportatos exhibuerunt, quod videtur probabilis. Sed & qua fronte Deistæ audent opponere miranda a Magis in Aegypto peracta veris Moysis miraculis, cum ex eadem Scriptura constet, Moysen vicisse Magos, ita ut illius serpentes horum serpentes devoraverit, & cum pervertem est ad quartum prodigium, steterit iners ars Magorum, & coacti fuerint dicere de miraculis Moysi: *Digitus Dei hic est.* Quæ de Vespasiano referuntur, nullo teste, sed fama incerta nituntur. Insuper claudus, & cæcus, quod dicitur sanasse, non erant, Medicorum judicio, naturaliter insanabiles, ut refert ipse Tacitus Hist. L. 4. n. 81. Quantum ad Apollonium: unus Philostratus centum, & amplius annis post Apollonii mortem ejus Historiam fabulis refertam scripsit, istamque eujusdam puellæ suscitationem ex rumoribus incertis absque ullo testimonio refert, nec constat ex ejus narratione, verè mortuum fuisse puellam. Deinde Apollonium habitum fuisse impostorem, inde evincitur, quod nullum sectatorem habuerit, nec sectam fecerit.

R. 2. Dato, quod Deus, propter cætos sibi notas, faceret aliquod miraculum in Paganismo, nunquam illud faceret in confirmationem idololatriæ; id enim repugnat ejus bonitati, sapientiæ, & veritati, ut supra diximus. Miracula verò Christi, Apostolorum, & Successorum facta sunt invocato nomine Dei in confirmationem divinitatis Christi, ejus Missionis, & Religionis ab ipso institutæ.

§. III. Prophetia, et promissiones Christi adimpletæ.

Christus promisit, se tertia die resurreturum, Joann. 2. Matth. 20. & alibi. 2. Promisit, se post mortem conversurum ad se Gentes, & Judæos reverterum, Joann. 12. Matth. 8. & 22. & Luc. 13. 2. Promisit Apostolis, se facturum illos Piscatores hominum. Matth. 4. Marc. 1. Luc. 5. Se missurum illis Spiritum S. Joann. 15. Se collaturum illis donum sapientiæ, fortitudinis, & linguarum, Luc. 21. Joann. 15. & 16. & Matth. 6. Tandem promisit, se illis adituum usque ad consummationem sæculi. Hæc omnia præstare non potest nisi solus Deus, præstitit Judæis; resurrexit die tertia, convertit ad se Gentes, & rejectit Christus; hæc ad oculum patet: fecit Apostolos Piscatores hominum, misit illis Spiritum S. concessit illis donum linguarum, sapientiæ, & fortitudinis. Deniquè adfuit, adest, aderit illis, id est, suæ Ecclesiæ indefectibili usque ad consummationem sæculi: ergo Christus est Deus: ergo vera, & divina ejus Religio.

ARTICULUS III.

Modus mirabilis, et planè divinus, quo Christiana Religio fuit fundata, et propagata.

Ut tota vis hujus argumenti bene percipiatur, plura sunt observanda. 1. Hæc Religio celerimè diffusa est: Paulus enim ad Coloss. 1. vers. 6. ait, jam tempore suo Christi fidem in universo mundo crescere, & fructificare: Justinus Martyr, qui florebat initio 2. sæculi, in Dial. cum Tryphone dicit, nullum esse genus hominum, apud quos non colatur: similiter Irenæus L. 1. c. 3. Tertull. l. contr. Judæos c. 7. & Plinius junior, qui etiam florebat ineunte 2. sæculo L. 20. Ep. 97. ad Trajanum: *Non Civitates tantum, inquit, sed viccos, atque agros superstitionis istius (Christianæ) contagio pervagata est.* 2. Introducta, & propagata est per paucos Piscatores, homines plebeios, rudes, ignaros, pauperes, & contemptibiles; non ut alie Religiones, armorum potentia, magnatum favore, opum, voluptatum, honorum illecebris, aut vi eloquentiæ humanæ, sed sola Christi virtute, & sapientia; juxta illud Apost. 1. Cor. 1. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt (id est, quæ pro nihilo reputantur) ut ea quæ sunt (id est, quæ pro maximo habentur) destruat.* 3. Hæc Fidei doctrina talis est, ut potius hominibus videretur stultitia, quam sapientia; nimium, quod homo, inter opprobria in crucem actus, & mortuus, sit verus Deus colendus, quod resurrexit, quod non sit aliud nomen, in quo oporteat nos salvos fieri, quam in nomine hujus hominis crucifixi; unde Apost. 1. Cor. 1. *Nos prædicamus Christum, crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus stultitiam; ipsi autem vocatis Judæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Talis est, inquam, hæc Religio, & Doctrina, quæ nihil conducit ad terrenam felicitatem; quæ passiones refræ-

nandas, honores, divitias, voluptates contemnendas docet; quæ nihil nisi lacrymas, poenitentiam, mortificationem incalcat; nihil in hoc mundo promittit nisi pericula, afflictiones, persecutiones, humiliactiones, tormenta, cruces. 4. Sub hujus Religionis apparenter stultæ, tam duræ, & asperæ, jugo hi pauci piscatores contemptibiles subjecerunt non indoctos solum, & simplices, sed viros doctissimos, Dionysium, Clementem, Irenæum, Justinum, Arnobium, Athenagoram, Lactantium, Tertullianum, etc. Neque solum plebejos, sed ipsos Principes, Reges, Imperatores. 5. Denique hæc Religio, atque Doctrina propagata est, & creavit in medijs persecutionibus, impugnantibus Principibus, & Magistratibus, contradicentibus Philosophis, sæviente Diabolo, atque omni suppliciorum genere contranite; & quanto magis impugnabatur, tanto magis crevit, ac prevaluit, ita ut sanguis Martyrum factus sit semen Christianorum.

Quis sanæ mentis, si ad hæc attendat, non cognoscat Religionem, qualem descripsimus, hoc modo natam, adultam, & propagatam, non esse ingenii humani inventum, sed opus Dei omnipotentis. Neque enim fieri potuit, ut doctrina a sapientia humana tam aliena, tam sensibus repugnans, tam aspera, & dura, Orbem universum tam

celeriter pervaderet, & inter persecutiones, tormenta, & contradicentiones hominum, & demonum reciperetur a Principibus, & Eruditis, idque per paucos piscatores, pauperes, & rudes, nisi Deus efficacissimè operatus fuisset, tam in eis, qui illam prædicarunt, quam in eis, qui illam receperunt.

His positis, resumo argumentum initio Dissertationis factum. Ratio suadet, imò cogit, nisi sit prorsus inversa, & turbata, agnoscere hanc Religionem esse veram, a Deo revelatam, & institutam. 1. quam Prophetæ longè antea prænuuntiarunt. 2. quam ejus Auctor, & illis cooperatores pariter Prophetis adimpletis, & miraculis patentissimis confirmarunt. 3. Denique, quæ sola virtute divina contra omnes humanæ prudentiæ leges est nata, adulta, & per Orbem universum propagata; atque hæc est Religio Christiana: ergo ratio suadet, imò cogit, nisi sit inversa, & turbata, agnoscere Religionem Christianam esse veram, a Deo revelatam, & institutam. Majorem nemo sanæ mentis negare potest: Minorè invicè probavimus. Stat itaque inconcussa Conclusio: proindeque necessarium est, ut vel Deista nuntium remittat rationi; vel agnoscat, Religionem Christianam esse veram, & divinam.

DISSERTATIO III.

DE ACTU INTERNO, ET EXTERNO FIDEI.

D. Thom. Quæst. 2. & 3.

Duplex distinguitur actus fidei: unus internus, quo assentimur certis, & firmiter veritatibus, à Deo obsecrè revelatis, propter ejus auctoritatem; & dicitur credere: Alter externus, quo exhibemus signum aliquod hujus interioris assensus, & dicitur Confessio, juxta illud Rom. 10. *Corde credatur ad justitiam; ore autem Confessio fit ad salutem.* De utroque dicemus in præsentî Dissert. & primo de actu interno. Undè sit

ARTICULUS I.

Utrum sit de necessitate salutis credere aliquid supra rationem naturalem?

Redere dicitur tripliciter, (*Hic q. 2. a. 2. o.*) scilicet credere Deo, credere Deum, & credere in Deum: propter triplicem respectum, quem fides habet ad suum objectum. Vel enim respicit Deum ut objectum formale quod; & sic dicitur credere Deo: vel recipit Deum, ut objectum formale quod; & sic dicitur credere Deum: vel tandem respicit Deum ut finem, in quem tendit; & dicitur credere in Deum. Itaque credere Deum est credere Deum esse; credere Deo est credere ipsi aliquid revelanti; credere in Deum est credendo tendere in ipsum ut ultimum finem, propter quem credere volumus. Duplex est necessitas, scilicet mediæ, & præcepti, de qua jam non semel dixi, & ut breviter repetam. Illud dicitur necessarium necessitate mediæ ad salutem, sine quo, etiam si inculpabiliter omisso, salus haberi non potest, sive ex natura rei, sive ex institutione divina, ut est gratia pro omnibus, baptismus in re pro parvulis, poenitentia pro peccatoribus. Dicitur autem necessarium necessitate præcepti, quod, quamvis non sit medium absolute necessarium; quia tamen est præceptum, est necessario observandum, ita ut ejus omisso voluntaria sit peccatum, quod salutem impedit. In hoc, & sequenti art. quæstio est de necessitate mediæ.

Dico 1. (*Ibid. a. 3. o.*) Fuit omni tempore necessarium omnibus adultis necessitate mediæ ad salutem, credere fide supernaturali aliquid supra rationem naturalem. Prob. 1. ex Scriptura. Apost. Hebr. 11. dicit: *Sine fide impossibile est placere Deo: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Apostolus autem loquitur de fide supernaturali, constat; quia loquitur de fide, quam paulo antè in eodem capite definiaverat, quod sit *sperandarum rerum substantia, & argumentum non apparentium.* Hæc autem fides est supernaturalis, cum res sperandæ humani ingenii captum superent, & res non apparentes humana ratione investigari non possint. Mart. ultimo, Christus dicit: *Qui non crediderit condemnabitur.* Et ibi est sermo de fide in Evangelium, consequenter de fide supernaturali. Item Joann. 3. *Qui non crediderit, jam judicatus est: fide item divina, additur enim: Qui non credit in nomine unigeniti filii Dei.*

Prob. 2. Ex Trid. Sess. 6. c. 7. ubi, cum dixit Baptismus esse Sacramentum fidei, addit, *sine qua nulli unquam contigit justificatio.* Annotandæ sunt hæc particule nulli, & unquam, quibus aperte significatur necessitas mediæ pro omni tempore. Et c. 8. dicit: *Fides est salutis humanae initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

Ex omnibus his auctoritatibus habemus, quod, est Deus possit hominem salvare absque sui cognitione, & amore, noluerit tamen: idque congruenter hominis nature, ut patebit ex ratione seq. Undè

Prob. 3. Ratione. Necessarium esse necessitate mediæ ad salutem, quod homo, qui ratione regitur, cognoscat finem ultimum, in quem tendit, & mediâ, quibus ad illum pervenitur; atque hæc cognoscere non potest per rationem naturalem, sed per solam revelationem, seu fidem: ergo. Prob. Min. Finis ultimus, in quem homo tendit, est supernaturalis, scilicet, consortium gloriæ Dei; mediâ, quibus ad illum pervenitur, sunt pariter supernaturalia, scilicet actus virtutum supernaturalium fidei, spei, & amoris; mediâ enim debent proportionari fini; atque hunc finem, & hæc mediâ non potest homo cognoscere per rationem naturalem, sed per solam revelationem; ratio enim naturalis non dicitur, Deum velle admittere hominem ad consortium suæ gloriæ, neque explicat hæc mediâ, quibus ad illum pervenitur: ergo.

Dico 2. Fuit omni tempore necessarium necessitate mediæ ad salutem, credere fide supernaturali determinatè, & explicitè hæc duo, scilicet, Deum esse Auctorem gratiæ & Remuneratorem gloriæ. Patet ex Apost. laudato c. 11. ad Hebr. dicente: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit;* in quibus duobus credibilibus cætera continentur, ut dicitur est superius. Apostolus autem loquitur de Deo, & remuneratore in ordine supernaturali, scilicet, quod sit auctor gratiæ, & remunerator gloriæ, constat: tum quia cum dicit, *credere oportet,* loquitur, ut jam notavimus, de fide supernaturali, quam antè definiaverat, quod sit *sperandarum substantia, & argumentum non apparentium,* tum quia postea in eodem capite dicit de Abraham, quod cum alijs SS. Patribus meliorem patriam appeteret, *id est, caelestem;* & de Moysè, quod, thesauro Ægyptiorum contempto, *aspiciebat in remunerationem, utique caelestem.* Hinc

ARTICULUS II.

Utrum in hoc statu Legis Evangelicæ Fides explicita Incarnationis & Trinitatis sit necessaria necessitate mediæ ad salutem?

Redere aliquid explicitè, est illud credere sub proprijs & particularibus terminis, sub quibus nobis proponitur. Sic credit explicitè Mysterium Incarnationis, qui credit Filium Dei assumpsisse naturam humanam, & Christum esse Deum & hominem. Credit explicitè Mysterium Trinitatis, qui credit, Patrem & Filium & Spiritum S. esse unum Deum & tres Personas. Credere autem aliquid implicitè, est credere in alio, sive ut in principio universaliori, in quo continetur; sive ut in sensu Magistri, cui adhaeretur; sive ut in umbra & figura, quæ scitur habere significationem, quamvis res significata clarè non cognoscatur.

Suppono 1. (*Hic q. 2. a. 7. o.*) antè resolutionem, quod antè peccatum Adam habuerit fidem explicitam Incarnationis, secundum quod ordinabatur ad consumptionem gloriæ, non autem secundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per Passionem, & Resurrectionem; non enim fuit præscius sui peccati futuri. Ità colligit Auctor ex hoc, quod Adam afflatus Spiritu S. dixit Genes. 2. *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ;* & hoc Apost. Ephes. 5. dicit Sacramentum magnum in Christo & in Ecclesia; quatenus, ut explicat Hieron. in hanc Ep. Christus reliquit patrem suum Deum, & matrem suam caelestem Jerusalem, & venit in terras propter Ecclesiam, quam sibi desponsavit. Suppono 2. (*Ib. & ad 3.*) post peccatum, antè promulgatum Evangelium, fuisse omni tempore necessariam necessitate mediæ ad salutem aliquid fidei Incarnationis. Patet 1. Ex Apost. Galat. 2. dicente: *Non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi.* 2. Ex S. Petro Act. 4. Non est, inquit, in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum, in quo oporteat nos salvos fieri. Propositio est universalis ad nullum tempus restricta. 3. Nos non salvamur absque fide Incarnationis. Atque eadem est fides nostra & antiquorum antè Legem Evangelicam, juxta illud Pauli 2. Cor. 4. *Habentes eundem spiritum fidei;* in quæ verba Aug. Epist. 89. non diceret, inquit, eundem spiritum fidei, nisi admonens etiam antiquos justos habuisse ipsum spiritum fidei, hoc est, Incarnationis Christi. Quod repetit alibi pluribus S. Doctor. 4. Sicut necessaria est Redemptio Christi, ita & fides illius, per fidem enim applicatur Redemptio juxta illud Rom. 3. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes;* atque Redemptio Christi est, & fuit omnibus pro quovis tempore post peccatum necessaria necessitate mediæ ad salutem, ut docet Apost. Rom. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ;* ergo.

Suppono 3. (*Ib. ad 3.*) antè Evangelium sufficientè promulgatum fidem implicitam Incarnationis communitèr sufficientem fuisse: *Si qui tamen, inquit Auctor citatus in margine, salvi fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide mediatoris; quia, etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina Providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos. Idque constat ex Ap. qui ad Galat. 3. dicit: Prius autem quam veniret fides, sub Lege custodiebamur conclusi in eandem fidem, quæ revelanda erat. Et ad Ephes. 3. loquens de Mysterio Incarnationis ait: Quod alijs generationibus non est agnitus filiis hominum, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus & Prophetis in spiritu. Et ad Coloss. 1. Quod absconditum fuit a sæculis & generationibus, nunc autem manifestatum est Sanctis ejus. Adde, quod juxta eundem Apost. 1. Cor. 10. Omnia in figura contingebant illis. Et ita sentiunt Aug. 1. 19. contra Faustum Ep. 89. & alibi; Chrysostomus hom. 37. in Matth. Bernardus Ep. 77. ad Hugonem Victorinum, & alii Patres.*

Dixi: *Communitèr sufficientem fuisse,* id est, minoribus & communi populo: quantum enim ad majorem videtur, quod tenerentur, saltem necessitate præcepti, habere fidem aliquo modo explicitam Incarnationis; quia, cum offerrent Sacrificia Christi præfigurativa, & legerent, atque interdum explicarent Prophetias de Christo venturo, videtur, quod utrorumque significatum aliquo modo cognoscere deberent, licet non ita distinctè & explicitè, sicut nunc post

Hic colliges, non sufficere ad salutem, quod quis credat in communi, & in confuso, quiddam credit, aut docet Ecclesia, si interim nihil determinatè, & in particulari de Deo cognoscat, aut credat; quia absque particulari, & explicita cognitione, quod Deus existat, quod sit remunerator bonorum, & malorum vindex, non potest ipsum debite colere, neque actiones suas in eum ut in finem dirigere.

Obj. 1. Quamvis Baptismus sit necessarius ad salutem, potest tamen homo salvari per illius votum, absque eo quod re suscipiatur: ergo similiter de fide, R. N. Conseq. Disparitas est 1. Quod Baptismus re susceptus non sit initium salutis, fundamentum, & radix justificationis, sed aliquid prius supponat, saltem fidem, in qua includitur votum baptismi. At fides, juxta Trid. cir. est initium salutis, fundamentum, & radix justificationis; & ideo nihil supernaturalè supponit, in quo ejus votum includatur. 2. Susceptio realis baptismi, cum sit quid externum, potest varijs modis impedi; non sic actus internus fidei; et ideo Christus voluit sufficere Baptismum in voto, non fidem in voto; quod juxta observationem S. Bernardi Ep. 77. ad Hugonem, patet ex ejus verbis Marti ultimo: cum enim dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* Non subjungit: *Qui non crediderit, & non baptizatus fuerit, condemnabitur;* sed solum *Qui non crediderit, condemnabitur;* aperitè significans, fidem in re esse necessariam, non tamen Baptismum in re. Adde, quod si fides in voto sufficeret ad justificationem, a fortiori charitas in voto sufficeret, quippe quæ supponit fidem et spem: id autem nemo unquam dixit.

Inst. Cognitio Dei naturalis continet implicitè, quod sit provisor, & justificator hominum; atque fides implicita quandoque sufficit: ergo. R. N. Maj. Quæ enim sunt ordinis supernaturalis, & non nisi supernaturaliter cognosci possunt, non continentur in illis, quæ sunt ordinis naturalis, & naturaliter cognoscuntur.

Obj. 2. Apost. Rom. 2. dicit: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt;* atque ad salutem sufficit observare legem, juxta illud Christi Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata:* ergo. R. juxta Aug. lib. de Spir. & Lit. c. 2. Prosperum contra Colatorem c. 22. Fulgentium de Incarnat. c. 26. S. Th. 1. 2. q. 109. a. 4. ad 2. Hæc Apostoli verba intelligi de Gentibus conversis ad fidem operantibus ex gratia; & To naturaliter non sumi, proit opponitur gratiæ, & proit idem est ac virtus nature; sed proit opponitur legi Mosaycæ, ita ut sensus sit: Gentes, quæ legem scriptam non habent, quæ legis sunt, faciunt naturaliter, id est, sine adminiculo legis Mosaycæ, sed per naturam sola Christi gratia adjutam. Quod si cum quibusdam alijs intelligas de Gentibus, infidelibus, & To naturaliter virtus nature solius, sensus est, quod quedam legis opera faciant proprijs virtutibus, sed non omnia.

Obj. 3. Tempore legis nature quidam fuerunt salvati; atque in lege nature nulla erant præcepta nisi naturalia; nulla Dei cognitio, nisi naturalis: ergo. R. N. Min. Dicitur enim Lex nature, quia excludat Legem scriptam, non præcepta supernaturalia Fidei, Spei, & Amoris; hæc enim inspirata primùm fuere Adamo, & ab eo ad posterum, non scripto quidem, sed ore transmissa.

Inst. S. Justinus c. 28. Apol. dicit, Socratem esse salvum, eumque vocat Martyrem; & Orat. ad Antoninum appellat Christianos eos antiquos Philosophos, qui vixerunt secundum rationem: ergo. R. Quod, si Socrates, & alii quidam antiqui Philosophi sint salvi, Deus eis antè mortem infuderit fidem, seu cognitionem supernaturalem. Sed communior sententia tenet, eos non esse salvos; tum quia quibusdam virtutibus moralibus miscerent gravia vitia: sic ipse Socrates, qui ab aliquibus dicitur iracundus, & ebrius, instante morte jussit, immolari gallum gallinæum. Esculapio, ut refert Dom. Rollin. Tom. *Hist. antiqum* p. 44. tum quia, ut plurimum, virtutem non nisi ex vana gloria colebant. Justinus autem vocat Socratem Martyrem lato sensu, attenta sola causa mortis: fuit enim damnatus, eo quod unum esse Deum doceret in scholis. Appellat antiquos Philosophos Christianos, non quod essent proprie Christiani, si fide carebant; sed improprè, quatenus in praxi virtutum moralium ipsos Christianos æquabant, aut etiam aliquando superabant.

Repones. Cornelius Act. 10. erat justus antequam fidem haberet, siquidem Petrus ad eum missus sit, ut ipsum de fide instrueret: ergo. R. N. Ant. (*Hic q. 7. a. 4. ad 3.*) Jam enim crederet Cornelius, antequam Petrus ad eum accederet, sed erat plenus in fide instruendus, & ideo ad eum Petrus missus est.